



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

14. An etiam pueris 12. 11. 10. 9. 8. vel 7. annor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

QVÆSTIO XIV.

An etiam pueris 12. 11. 10. 9. 8. vel 7.
annorum.

Quæstionis explicatio.

Docet experientia vitam hominum quotidie fieri breuiorē, accelerariq; in pueris vsum rationis, vt non immerito quidam existiment, plerosq; pueros etiam ante completum septennium eo esse rationis vsu præditos, vt peccare possint, & peccent de facto mortaliter: nihilominus tamen videmus plerosq; tum parentes, tum pastores, sub quorum cura & custodia illi sunt, ita negligētēs, vt de eorum conscientia & salutē etiam in octauo, nono, decimo; & supra annis non cogitent, nec eis sacramenta administrari curent, præsertim in articulo mortis, dum de eorum salute vel damnatione æterna agitur. Huius occasione quaritur, an pastores propter puerilem ætatem excusentur ab administratione huiusmodi puerorum, an vero etiam illis cum periculo vitæ teneantur sacramentum hoc ministrare?

Responsio.

Primo certū est pastores non teneri ministrare hoc sacramentum pueris peste infectis, sicut nec aliis non habentib. vsum rationis,

Q 2

rationis,

rationis, quia non sunt illius capaces; unde puero ante septennium non est communiter danda absolutio, quia ante illam aetatem praesumitur illo carere, sicut post completum septennium est praesumptio illius, secundum communem (a) Theologorum, & (b) Canonistarum, argumento sumpto ex eo, quod iure canonico assignetur septennium ad contrahenda sponsalia; quae sine usu rationis contrahi non possunt.

a D. Thom.
in 4. dist. 27.
q. 2. a. 2. in
corpor. & ibi
Dd.

b Panorm. c.
omnes. de
penit. c. 1.
de delict. pue
rorum, & ibi
omnes.

Secundo certum est, e contra pastores teneri in quacunque aetate, qua constat puerum habere usum rationis, praesertim si fateatur aliquod peccatum mortale, quia secundum communem tales pueri tenentur iure diuino in articulo mortis confiteri: ergo pastores tenentur illos audire, sicut & adultos, alias essent peioris conditionis quam illi, cum tamen aequale ius habeant ad percipienda sacramenta, ut ante ex Apostolo (c) ostendimus.

c Galat. 3.

Dices: Quid si pastor & parentes dubitent, an puer habeat usum rationis, puta, quia est tantum octo, vel nouem annorum, & sunt argumenta pro vtraque parte probabilia.

Ex Iason. l. 1.
c. de sum. Tri
mit. n. 36.

R. In dubio inclinandum esse pro ministracione sacramentorum, quia ubi agitur de periculo salutis, tutior pars est eligenda, debet tamen

tamen absolueret sub conditione expressa vel tacita, si videlicet sit capax absolutio- nis, vt honori & reuerentiae sacramenti consularur, vt in similibus casibus iam aliquoties diximus.

Dices secundo: Quid si pastor & parentes probabile existiment, puerum habere vsum rationis, eritne absolueudus sub conditione?

R. Illo in casu absolueudum esse sine conditione, quia illa certitudo (a) moralis, est a *Medin. lib. 1. Summa, c. 12. §. 2. cas. 6. Victoria in summ. q. 139.* sufficiens ad simpliciter ministrandum sacramentum.

Dices tertio: Quibus signis & coniecturis potest deprehendi, an puer habeat sufficientem vsum rationis ad hoc sacramentum?

R. Puerum videri habere illum secundum (b) Nauarrum, qui ob malefactum ver- recundatur, & bonum discernit à malo, & interrogatus, an liceat innocentem interficere, aliena inuadere, superiori maledicere, & alia huiusmodi, negatiue respon- det: & interrogatus, an bonum sit esurienti panem porrigere? adire ecclesias? respondet affirmatiue.

Q 3 Q V A-